

1264 Juli 31 Ahlen.

[16

6
Ritter Heinrich in Ahlen, genannt Scrodere, verzichtet auf den Hof Borbein, Kppl. Ahlen.

Ego Henricus miles in Alen dictus Scrodere recognosco et presentibus protestor, quod curiam in Borbene, que spectat ad ecclesiam et conventum in Vredene, quam nomine pignoris a Frederico eiusdem curie provisoro pro viginti marcis tenueram, in manus . . . prepositisse de Vredene et sui conventus suorumque nunciorum totaliter cum omni iure, presente iam dicto Frederico et consentiente, cum consensu et voluntate mee uxoris et meorum heredum resignavi et eandem curiam pro deretentis meis iam supradicte prepositisse et sue ecclesie pro sedecim marcis Monasteriensibus, quas tunc in eadem curia nomine pignoris habui, coram iudicio in Alen salvo iure ecclesie Vredenensis hinc et inde sententia iudicis obligavi. Et ut omnia rata et firma permaneant, sigillo nostre civitatis in Alen usus sum. Acta sunt hec coram iudicio in Alen anno Domini M^oCC^oLX^oIIII feria quinta post Jacobi apostoli, presentibus hiis: iudice nostre civitatis in Alen, videlicet Arnolde dicto de Gesthuvele, Daniele magistro scabinorum, Brunone plebano et suis sociis, Johanne plebano sancte Marie Monasteriensis, Luberto gogravio in Alen consanguineo nostro, Conrado de Mechlen milite et aliis viris probis et honestis.

Kopie des 14. Jhdts., Kopiar fol. 21.